

De Properti poetae testamento.

Haud raro accidit in scriptorum antiquorum lectione ut scripturae difficilioris et reconditioris notionem cum primus interpres non assecutus esset et quasi corruptam et absurdam notasset, reliqui omnes qui subsecuti sunt absurdam corruptam esse secure confiderent neque recogitarent, sed cum caeca assentatione temerare interpolare tradita verba pergerent. Quod apud Propertium factum esse, ut exemplum ponam, nuper demonstravi loco qui numeratur IV (V) 8, 41, ubi poeta pumilionem inducens *Magnum* appellat proprio nomine iocose imposito, sicut apud Iuvenalem 8, 32 illud legitur: *nanum Atlanta vocamus*, nec non *Sisyphus Marci Antoni* triumviri pumilio fuisse dicitur intra bipedalem staturam (Porfyrio ad Hor. serm. I 3, 46), quin etiam apud alios parvulum homuncionem τὸν μέγαν Εὐμήκιον, contra gigantescae formae virum *Pusionem* vocari videmus¹. Nihilominus *Magnum* nomen apud Propertium editores delerunt ad unum omnes errorque inveteratus est. Simile est quod hac sumpta mihi disserendi occasione locum alium Propertianum II 13, 48 nimia obscuritate laborantem a coniecturis et suspicionibus improspers doctorum tandem vindicandum suscepi; cuius sententia ut festinantius contuenti insulsa et absona videri debet quasi si desipiens falsarius nil cogitans eum intulerit, ita absconsam continet veramque doctrinam raram illam quidem, sed de qua dubitari non possit, qua detecta eos, qui de gentium originibus fabulas anquirunt, aliquid lucri capturos esse speravi.

Sed enim utile dulci miscere conabor. Eam igitur viam ingrediar ut primum quidem interpretis munus subeam carmenque

¹ Cf. quae dixi De Amorum simulacris et pueris minutis comm. Catullianus alter (a. 1892) p. IX adn. 3. Nunc paene in usum id abiisse video ut pro nano magnum dicerent; haec enim apud Varronem quoque de lingua lat. p. 50, 4 ed. Spengel antiqua scriptura est legiturque *mannos* pro *nanos* etiam apud Arnobium adv. nat. p. 121, 21 Reiff. Similiter sermonis consuetudo effecit ut pumilionem in *humilionem* sive *humillionem* converterent; quam vocis transformationem et glossaria tradunt (cf. Loewe, gl. nominum p. 51) et cod. Bobiensis N apud Keilium Grammat. lat. VII p. 525, 18.

Properti quod numeramus II 13 b totum proponam, expendam, continuo commentariolo illuminem; dignum enim illud est quod cum cura legatur et propter alias rationes multifarias et quia in v. 25 *tres illi libelli* sunt memorati qui ad numerum librorum quos reliquit Propertius recte aestimandum plurimum valent.

Completur carmen II 13A his quidem sedecim versibus:

II 13 A.

- Non tot Achaemeniis armantur Susa sagittis
 Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
 Hic me tam graciles vetuit contemnere Musas
 Iussit et Ascræum sic habitare nemus,
 5 Non ut Pieriae quercus mea verba sequantur
 Aut possim Ismaria ducere valle feras,
 Sed magis ut nostro stupefiat Cynthia versu.
 Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
- Non ego sum formae tantum mirator honestae
 10 Nec siqua illustres femina iactat avos:
 Me iuuet in gremio doctae legisse puellae
 Auribus et puris scripta probasse mea.
 Haec ubi contigerint, populi confusa valetō
 Fabula; nam domina iudice tutus ero;
 15 Quae si forte bonas ad pacem verterit aures,
 Possum inimicitias tunc ego ferre Iovis.

Plenos hos elegos esse et absolutos nec cohaerere cum sequentibus, ipsos vero aequalibus portionibus duabus constare ut distichis quattuor vv. 1—8 quattuor disticha vv. 9—16 respondeant, non pluribus disputabo; qui attenderit, pervidebit.

Carmen 13 A excipitur altero carmine integro et ipso quod numeramus 13 B; quod et ipsum transcripsi:

II 13 B.

- 17 Quandocumque igitur nostros mors claudet ocellos,
 Accipe quae serves funeris acta mei.
- Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa
 20 Nec tuba sit fati vana querela mei
 Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno 5
 Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
 Desit odoriferis ordo mihi lancibus, adsint
 Plebei parvae funeris exequiae.

- 25 Sat mea sit magna si tres sint pompa libelli,
 Quos ego Persephoniae maxima dona feram. 10
 Tu vero nudum pectus lacerata sequeris
 Nec fueris nomen lassa vocare meum
 Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
- 30 Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.
 Deinde ubi subpositus cinerem me fecerit ardor, 15
 Accipiat Manes parvula testa meos
 Et sit in exiguo laurus super addita busto,
 Quae tegat extincti funeris umbra locum;
- 35 Et duo sint versus: "Qui nunc iacet horrida pulvis,
 Unius hic quondam servus amoris erat". 20
 Nec minus haec nostri notescet fama sepulcri
 Quam fuerant Pthii busta cruenta viri.
- Tu quoque si quando venies ad fata, memento
- 40 Hoc iter; ad lapides cana veni memores. 25
 Interea cave sis nos aspernata sepultos.
 Non nihil ad verum conscia terra sapit.
 Atque utinam primis animam me ponere cunis
 Iussisset quaevis de tribus una soror.
- 45 Nam quo tam dubiae servetur spiritus horae?
 Nestoris est visus post tria saecla cinis. 30
 Cui si longaevae minuisset fata senectae
 Gallicus Iliacis miles in aggeribus,
 Non ille Antilochi vidisset corpus humari
- 50 Diceret aut: o mors, cur mihi sera venis?
 Tu tamen amisso non numquam flebis amico. 35
 Fas est praeteritos semper amare viros.
 Testis cui niveum quondam percussit Adonem
 Venantem Idalio vertice durus aper:
- 55 Illic formosum lavisse paludibus, illuc
 Diceris effusa tu, Venus, isse coma. 40
 Sed frustra mutos revocabis, Cynthia, Manes.
 Nam mea qui poterunt ossa minuta loqui?

Agit poeta de funere suo ad Cynthiam. Dispositio perspicua; unum distichum vv. 17 et 18 praemissum est quasi argumenti tractandi index; deinde per partes duas aequabiles distichorum denorum deducitur carmen, ut viginti versibus 19—38 de exequiis agatur, versibus totidem 39—58 de puella quae etiam defuncto se fidam praestet.

Iam vero carminis sermonem perpetua, sed breviuscula annotatione persequamur. Et primum quidem ut de ipso argumento carminis omnis tollatur dubitatio, versus initiales 17 et 18 interpretemur.

Et quod in principio poeta *igitur* scribens v. 17 speciem prae se fert tamquam si amplior sermo praecesserit, non miramur; neque enim infrequentia talia apud istos; modo conferas *Et merito* monobibl. 17, 1; *At vos* II 27, 1; *Ergo* III 7, 1; item III 23, 1; Ovidi Am. II 7, 1; *Et quisquam* Ovidi Am. III 8, 1. Denique Apulei Metamorphoseon hic est introitus: *At ego tibi . . . fabulas conseram*, Theocritusque ἄρα posuit in Helenae epithalamii initio: Ἐν ποκ' ἄρα Σπάρτα . . . χορὸν ἐστάσαντο.

Deinde vero in v. 18 *acta funeris* Propertius promittit; quae spectant maxime ad versus 19—38, quibus funus describitur. „acta“ autem dixit vitae et iuris consuetudinem secutus; talia enim in testamento scripta esse solebant.

In quibus diutius video esse immorandum. Atque ut ex iocis antiquis incipiam, adferatur mihi Testamentum porcelli; in quo M. Grunnius Corocotta etiam haec: *et volo mihi fieri monumentum aureis litteris descriptum* (sequitur ipsa inscriptio); *optimi amatores mei vel consules vitae, rogo vos ut cum corpore meo bene faciatis, bene condiciatis de bonis condimentis* quae postrema ipsius funeris loco habentur. Unde etiam in saturis testamenta iocose adhibita esse recordamur: tale fuit Varronis *Testamentum sive* περὶ διαθηκῶν; sic et Menippus ipse διαθήκας luserat; sic inter mimos latinos unus fuit in quo „Iovis mortui testamentum recitatum“ est (Tertull. apol. 15). Denique in comparationem voco Varronis ταφήν Μενίππου ubi frg. 19 B. quasi ex testamento: *περιέχοντα varia mihi facies maeandrata et vinculata, atque etiam adpinges orbem terrae*; nec non et illud quod in Pomponii Pictoribus sive Piscatoribus Pappus senex „intestato proficiscitur“ et titulum sepulcralem accipit: *Pappus hic sub dio¹ habitat, seneca non sescunciae* (Ribbeck frg. com. v. 113 et 111). A quibus ludicris iocisque exodiariis ut ad ipsam vitam et ad serio scripta monumenta animum advertamus, Seneca de brev. vitae c. 20 fin. primus mihi testis esto: *quidam disponunt etiam illa, quae ultra vitam sunt, magnas moles sepulcrorum et . . . ad rogum munera et ambitiosas exsequias*. Quam curam nimirum Stoicus „alte cinctus“ respuebat, respuerat etiam Maecenas in carmine, cf. Senecae epist. 92, 35: *neminem de supremo*

¹ *Sub dio* ego; *medio* codd. Nonii. SVB in ME abiit litteris B et E confusis.

officio rogo; nulli reliquias meas commendo . . . diserte Maecenas ait: „Nec tumulum curo; sepelit natura relictos.“ *Alte cinctum putes dixisse.* Talia vero de funere concipi solita esse in testamentis etiam Quintilianus docet verbis VII 9, 5: *ut si quis corpus suum in culto loco poni iubeat circaque monumentum multum agri ab heredibus in tutelam cinerum, ut solent, leget, sit litis occasio.* In fragmentis testamenti Dasumii¹ scripti in tabulis marmoreis duabus vv. 110—115 etiam de ratione qua mortuus ferri vult „per Serviani mei libertos“ vel „liberos“ et de ipso monumento sepulchrali monitum est. In „exemplo codicillorum“ CIL. X 74, 57 iuvenis ex patre petit superstiti: *peto ut monumentum mihi facias dignum iuventuti meae.* Porro „Maevia decedens servis suis libertatem reliquit his verbis: *Saccus servus meus et . . . sub hac condicione liberi sunt, ut monumento meo alternis mensibus lucernam accendant et sollemnia mortis peragant*“². In testamenti reliquiis Basileensibus³ de ornatu cellae, quam suae memoriae aedificavit moriturus, praescribitur et de statua et exedra et subselliis; deinde „ara ex lapide Lunensi optima sculpta quam optime, in qua ossa mea reponantur;“ „scribanturque in aedificio extrinsecus nomina . . . et quot annis vixero;“ ubi quod sub finem v. 59 legimus „Mando autem curam funeris mei exequiarum et rerum omnium et aedificorum“ eqs., concludimus in initio testamenti nunc deperdito etiam de ipso funere exequisque praescripta dedisse testatorem; qui quidem Gallus fuit natione Lingo (cf. v. 44). Neque vero praeteriisse divum Augustum fas erit; cuius duobus codicibus scriptum testamentum cum tribus aequae signatis voluminibus apud Vestales ab ipso depositum est; et in codicibus quidem heredes ille instituit; uno vero ex tribus voluminibus nil nisi *mandata de funere suo* complexus est, altero indicem rerum a se gestarum quem vellet incidi in tabulis quae ante Mausoleum statuerentur (Sueton. c. 101). Cum tanta cura Augustum „ambitiosas exsequias et illa quae ultra vitam sunt“ disposuisse vides. Denique Trimalchionis inicio memoriam, qui apud Petronium c. 71 in testamento se servos omnes manumittere gloriatur, mox exemplar testamenti afferri iubet totumque recitat, deinde ad Habinnam: „quid dicis . . . ? aedificas monumentum meum quemadmodum te iussi?“

¹ CIL. VI 2, n. 10229; cf. Wilmansii exempla n. 314.

² Digest. 40, 4, 44.

³ Wilmanns. n. 315; Bruns fontes iuris Rom.⁵ p. 297; v. 47 „testamentum“ dicitur.

sequuntur de monumento praescripta; unum autem ex libertis sepulcro suo custodem praeponebat cavebitque testamento ne mortuus iniuriam accipiat¹.

Quae omnia qui perpenderit, intellet Propertium in carmine quod tractamus et ipsum esse testatorem voluntatemque suam de funere ipsam velle proponere; id quod summi momenti est. Sic itaque inscribi hi elegi possunt: *Kaput ex testamento Properti de funere.* Quod si legitur v. 18 *Accipe quae serves funeris acta mei*, illud *serves* simul et *conserves* et *observes* interpretari licet; *funeris acta* autem ita dicta sunt ut *mandata de funere suo* apud Suetonium in vita Augusti. Denique a Propertio exemplum codicillorum ad Cynthiam missum est, sicut CIL. X 7457 adulescens moribundus ad patrem voluntatem dictat et exemplum mittit.

Abhinc ipsum funus videamus. Solebat autem mortuus

I habita conclamatione lotus unctus togatus in lecto componi, in atrio conspici per dies septem, adpositis coronis, candelabris, thuribulis (*acerris*) et suffimentis.

II Ipsum funus dissignatores sic ordinabant, ut siticines, tибicines, tubicines cum tuba longa praerent,

III sequerentur imagines curru vectae,

IV dein spolia, lictores cum fascibus,

V ipse defunctus in lecto portatus,

VI exsequiae, amici ac noti pullis palliis.

VII Denique in rogo uritur corpus, extinguitur vino et aqua.

VIII ossa leguntur, in busto componuntur, tumulus erigitur.

IX adicitur titulus sepulchralis.

Iam vero hunc ordinem poeta satis diligenter respexit. Ut enim numeris quos posui utamur, ad I referendi sunt primum vv. 28—30 ubi conclamatio fit et unctio², deinde vv. 21 et 22 ubi lectum vetat sterni fulcro eburneo et toro Attalico (cf. Sueton. Divus Iulius c. 84: *intraque lectus eburneus ac purpura stratus*) nec non v. 23, ubi lances memorat suffimento inservientes. Ad II referendus v. 20 cum tubae querela, ad III v. 19, ubi pompam non vult spatari longa imagine (id quod audacissime scripsit; intellegi debet longa series imaginum; hoc autem ille sibi con-

¹ Plura eiusmodi composuerunt Huschke, T. Flavii Syntrophi instrumentum don. p. 28 sq.; Rudorffius in Savignyi ann. iur. XII p. 382 sq.

² Nisi vv. 28—30 ad alteram illam et ultimam conclamationem referri mavis, quam valedictionis loco memorat Servius ad Aen. VI 218.

cessit profectus ex poetica licentia qua multam imaginem pro imaginum multitudine dicere licet). Porro sive ad III sive ad IV trahendus gravissimus versus 25; tres enim libelli, quos scripsit poeta, aut spoliis illis respondent quae in magni ducis funere ante mortuum ipsum gestabantur, quibus reportatis poeta gloriatur; reportavit autem ipsa in militia amoris; aut potius haec pompa trium librorum, quam sibi exigit poeta, longae illi imaginum pompae in v. 19 repudiatae respondere dicenda est; atque huic alteri interpretationi favet repetita vox *pompa*. Ipsum vero ternum numerum librorum fictum esse numquam equidem concedam; evici enim hoc carmine testamenti caput de funere non solum imitari Propertium, sed ipsum accuratissime proponere (cf. v. 18) neque id per iocum, sed serio; atqui non fictum¹, sed verum librorum numerum a testatore proponi oportebat; vellem enim mihi ostendi in codicillo vel voluntatis instrumento scriptos fictos numeros! quos si dedisset Propertius, non potuisset praemittere quod solebant fere praemittere voluntati: 'sanus salvus sana quoque mente integroque consilio . . . testamentum feci'². Itaque tum quidem poeta non plus quam tres libros conscriptos habuit; habuit tres; propterea in hoc numero se continuit. Ceterum vestes ornamenta instrumenta res quaecumque carae fuerant mortuo, una cum corpore in rogo cremabantur³, quid cremari vellent, in voluntate praescribebant testatores⁴. Propertius num idem de tribus suis libellis constituerit, incertus sum faciliusque mihi persuadeo hoc eum petisse, ut in ipso sepulcro trium librorum exemplaria collocarentur; quod si recte sumitur, poeta Alexandrinus hac quoque re Alexandrinorum et Aegyptiorum morem imitatus est, quorum ex hypogeis et conditoriis recentissimo tandem saeculo emergunt atque resurgunt volumina papyrina. Sed enim hic opportune etiam Septimii sive Dictyis latini subit recordatio; apud quem in Prologo de Dictye haec traduntur: de bello Troiano eum 'sex volumina in tilias digessisse': *quae . . . praecepit moriens ut secum sepelirentur; itaque ut ille iusserat memoratas tilias*

¹ Nimis inconsiderate numerum fictum esse sustentat Reisch stud. Vindob. a. 1887 p. 94 sqq. qui haec testatoris verba esse ne sensisse quidem videtur. Itaque corruunt fere omnia quae ibi ab illo de Propertii librorum distributione prolata sunt, et strenue revertendum est ad ea quae censi De re libraria p. 413 sqq.

² Cf. CIL. XIV 2934.

³ Cf. Lucan. IX 175 sqq.; Plin. ep. IV 2, 4, al.

⁴ Ita factum est in testamento anonymi Gallici apud Wilmanns n. 315.

in stannea arcula repositas eius tumulo condiderunt. Praeceperat haec 'moriens'; itaque ad testamentum Dietyis haec referebantur, quorum simillima etiam in testamento Properti invenimus; neque fictum, sed verum numerum librorum condi iusserat Dietyis.

Porro ad numerum V respicit versus 26, ubi ipse tandem defunctus ad Persephonen accedere et spolia afferre dicitur; ad VI respiciunt et versus 24, ubi 'parvae exequiae', et v. 27, ubi puella nudum pectus lacerata sequi iubetur. Ad VII sive ad cremationem ducit v. 31 (subpositus ardor me cinerem fecit), ad VIII versus 32, ubi testa ossa colligit, simulque v. 33 ubi bustum cum lauru additur; denique ad IX referendi versus 35 et 36, quos duos versus pro titulo sepulchrali sibi sculpi iubet, nisi quod non plenos ibi dedit sed unum tantum et dimidium. Sic plenum titulum reficiemus:

Hospes, siste pedem. Qui nunc iacet horrida pulvis,

Unius hic quondam servus amoris erat.

Verba scilicet de hospite pedem sistente tralaticia suo iure praetermisit Propertius in testamento.

De lectionibus pauca sunt quae subiciam. In v. 19 retinui *Nec* quod et dederunt membranae neque respuit Latinitas. Alii cum Burmanno *Ne*.

v. 23 *desit odoriferis ordo mihi lancibus* violentius dictum pro 'odoriferarum ordo lancium', vix ut tolerari posse arbitraris. Scias tamen Properti peculiare hoc esse, ut ablativum duplicem sive absolutum pro genetivo exhibeat possessivo. Sic nempe scripsit II 32, 13 *creber platanis surgentibus ordo* pro platanorum surgentium, nec aliter monob. 4, 13: *multis decus artibus*, IV (V) 3, 63 *gloria ascensis Bactris*; denique huius ipsius de quo disputamus carminis v. 19 *pompa longa imagine* quid aliud significat atque longae imaginis pompam?

v. 24 legendum esse *exequiae* comprobatur carminis monob. 19, 4 lectione; nam ex illa elegia quam prius scripserat hoc quod nunc tractamus carmen repetivit; quod autem ibi in cod. F. apparet *obsequiis*, error hic nostro loco etiam in librum inrepsit.

De v. 25 ubertim disputavi, traditam scriptionem vindicavi in Mus. Rhen. 38 p. 219; munivit eandem H. Spindler Syntax. Propert. (a. 1888) p. 22 sq.; neque amplius sobrius quisquam in scriptura iudicanda haesitabit.

Denique v. 38 *fuervant* quo iure traderetur non perceperunt

rudiores, percepit Hertzberg¹. Dixeris sane admirabilem hanc esse abiectiōnem, qua simplex fuerant pro nota fuerant accipere debeamus. Quod tamen a voce *notescet* videlicet quae antecedit facilem explicatum accipit; quid est enim *notescet* nisi *nota escet*? ergo sic mihi intellegendus hic locus erit:

Nec minus haec nostri nota escet fama sepulcri

Quam fuerant Pthii busta cruenta viri.

Magni sane momenti testimonium hoc esse dico de Augusteae aetatis poetarum grammatica eruditione; noverat Propertius verba in *-escere* exeuntia compositionis lege orta esse et ipsam terminationem esse eam, quam in futuro tempore posuerant Ennius et Accius scribentes *superescit*; simile *obescet*, *nescit* et simplex *escunt*.

v. 38 *Pthii*, non *Pthii* rescribendum est observatis iis quae nuper disputavit Guil. Schulze Orthogr. p. 51 adn. 2, confirmaturque hac quoque in re pusilla Neapolitani codicis maior auctoritas; hic enim *pythii*, i. e. *p* litteram sine aspiratione conservavit, *phthii*, *phthii*, *fitii* codices reliqui quibus usus est Baehrensiius. Prorsus concordat cum Neapolitani memoria quod in Daretis Phrygii c. 3 pro *Pthiam* in codd. FV *pythiam* vel *pithiam* scriptum est, ceterum ibidem c. 14 recte *Pthia* id quod in textum recipere debuit Meisterus editor. Etiam glossa codicis Cassinensis 90 quae audit *Pthitia urbs thesaliae* (Corp. gl. lat. V 576, 12) in ipso errore veri vestigium conservavit². Sic enim semper fere et ipsa medii aevi latinitas legiturque rex *Ophthomenus* a Diomede interfectus apud Guidonem de Columna in hist. destr. Troiae³.

Quibus absolutis ad alteram carminis partem quae est de puellae superstitis fidelitate transitus conceditur. Et artius quidem nexi sunt versus 39—42 et 51—58; in his enim ipsum quod adumbravi argumentum exponitur. Utque leviora anteponam, vv. 39 et 40 tales ego quales a libris scriptis offeruntur exhibui; in quibus omnia explanata esse contendo; hoc nempe dicit poeta ad Cynthiam: tu quoque si ad mortem venies, id cura ut sub eodem tumulo mecum cubes; id est: *memento hoc iter*, scilicet funeris mei iter; decet enim inter amicissimos iter ad inferos esse commune; nec aliter Horatius ad Maecenatem suum carm. II 17:

¹ A. E. Housman coniecit (journal of phil. XVI a. 1887): *funere quam Pthii busta cruenta viri*. Qui vir doctus transmarinis coniecturis nuper pessumdare suscepit poetas Latinos.

² Contra *pueria* pro *Pthia* Iulius Valerius p. 57 ed. Kuebler.

³ *Gepthe* pro Iephthe Hieron. adv. Iovin. I p. 253 ed. Migne in cod. Sessor. teste Iulio Koch.

ibimus ibimus . . . supremum carpere iter comites parati. Pergit vero Propertius: sed *cana* demum vel anus facta *veni ad lapides memores*; in quibus *lapis memor* plane designat lapidem sepulturae, qui quidem memor est quandoquidem titulum fert inculpataeque mortui memoriam; nam in v. 36 Propertius ipsam lapidis inscriptionem dederat et unci Cynthiae amoris testem fecerat; ea igitur ratione *memores* scripsit qua Horatius carm. III 11, 51: *nostri memorem sepulcro scalpe querelam.* Quae vero subhaerent, ab ulla obscuritate aliena esse video; sensus hic: Interim dum vivis, ne asperneris me; sentiam enim quidquid ages, quia etiam mortui conscii sapiunt (v. 41. 42); igitur nonnumquam flebis (v. 51); id enim fas erit (v. 52); testis Venus est Adonidis obitum lugens et conquerens (v. 53—56). Quod si lamentaberis etiam tu, tamen frustra eris si responsum tibi postulabis; neque enim loquetur defunctus (v. 57. 58).

Iucundum autem est quod in isto 'testamento' Propertius etiam Adonidis reminiscitur v. 53 sq., et ita quidem, ut semet ipsum cum Adonide, quem fleverat Venus, comparari velit. Id enim quaeso an fortuito factum esse dixeris, quod etiam Varro in 'Testamento' (Menipp. fr. 1 vel 540 B.) haec verba exhibuerat: *sic ille puellus Veneris repente Adon cecidit cruentus olim?* Haec igitur Varro in Testamento. Est in propatulo etiam apud Varronem hominem mortuum sive testatorem cum Adone esse aequatum. Itaque fuit hic fere locus in eiusmodi scriptis sollemnis. Quid? quod apud Varronem non *Adonis*, sed *Adon* in nominativo comparet; eandem formam plane sibi sumpsit Propertius quippe qui non *Adonin*, sed *Adonem* in accusativo praetulerit; potest igitur Propertius hoc toto loco imitator fuisse Varronis.

Et in his quidem quos modo percensui versibus non habeo de lectione quod moneam nisi v. 59 ex Neapolitano optimo vocalum *qui* sine dubio esse assumendam, in versu autem 55 olim verum vidisse qui *lavisse* conicerent ubi prave tradidum est *iacuisse*¹; de corruptelae origine comparemus IV 4, 1 ubi *tarpele* pro *tarpele* et II 9, 2 ubi *electo* pro *eiecto*, IV 5, 36 ubi *malis* pro *Maïis* in libris est; item Ciceron. de deor. nat. I 15 *velleio* pro *Velleio* codd. Leid. AC; al.

Iam vero surgunt interpretationis impedimenta vixque remota accrescere videntur. Primum enim contra expectationem accidit ut per octo versus 43—50 excursus inmitteret scriptor, quo subito puellae oblitus ad semet ipsum reflecteret et eum lo-

¹ Cf. quae dixi Ad historiam hex. lat. p. 37.

cum communem tractaret, quo dicebant melius esse puerum obire quam pervenire ad senectutem; quam sententiam primum perspicue expressit versibus 43—45, deinde Nestoris exemplo illustravit vv. 46—50.

Ne quis vero de toto hoc loco dubitationes moveat aut delendum aïens aut exportandum et translocandum, respiciat ille versum 51; cuius verba *tu tamen flebis* ad versum 42 nullo pacto possunt adnecti; oppositionem enim pronomen *tu* adiecto *tamen* exprimit qualem versus 42 neque tolerat neque concedit; immo vero his verbis *tu tamen* poeta ab excurrendo ad ipsam amatam se retro vertere plane indicat. Consciis igitur exspatiando argumentum dilataverat, consciis ad ipsum revertitur. Hoc vero laxiore cogitationis filo seruntur sententiae et coagmentantur:

Optaverat ille versibus 39—42 ut Cynthia non omnino se infidelem praestaret amico defuncto; hic autem infidelitatis eius memoria subit, quam Propertius dum vivit perpressus est; pergit igitur v. 43: atque utinam puer mortuus essem; tum enim quam infidelis et improba saepe fuisses non sensissem neque iactatus essem fluctibus amoris; nam etiam Nestor si ante obisset, Antilochi mortem non planxisset (— v. 50). Exinde ad ipsam gressum refert: Attamen spero fore ut nonnumquam saltem fleas de amisso amatore (v. 51); flevit enim etiam Venus Adonidem, quamquam multos haec dea amavit.

Itaque vinculum, quo versuum 43—50 cum antecedentibus vinculatur excursus, infidelitatis puellae memoria fuit; quod si conceditur, nonne vituperandus poeta, qui, ubi subito erumpit in exclamationem: utinam puer mortuus essem! ipsa verba ad sensum quam maxime necessaria: 'tum enim tuam malam fidem non sensissem!' reticuit et praetermisit? Quem si a vituperio socordiae liberare volumus, una tantum ratio aptissima invenitur excusandi. Testamentum hoc esse Properti iterum iterumque urgeo. Neque parentes tunc vivos habuit ille neque fratrem vel sororem, itaque ad ipsam unice amatam testamentum dictat atque missurus est. Atqui in ultima voluntate omnino non decebat maledictis incessere Cynthia. Est igitur quod pietatem et teneram mentem poetae agnoscamus, qui ad mortem paratus animo simplici et candido non nisi verecunde adloquitur perfidiosam puellam et omne quodcumque male ominatum verbum anxie vitat.

Ceterum locum illum communem qui est de maturae mortis felicitate ex philosophia rhetorica sive ex consolationibus, ubi tritissimus fuit, sibi decerpit Propertius, similiaque iam apud

Crantorem extitisse videntur, similia apud Callimachum Propertii exemplum. Sic certe Cicero Tusc. I 93: *quamquam non male ait Callimachus multo saepius lacrimasse Priamum quam Troilum*; sic etiam Plutarchus consol. ad Apoll. p. 113 F: μέλον γὰρ ὄντως ἐδάκρυσεν Τρωίλος ἢ Πρίαμος ibidemque [Πρίαμος] εἰ προτελεύτησεν ἔτ' ἀκμαζούσης αὐτῷ τῆς βασιλείας καὶ τῆς τοσαύτης τύχης ἦν ἐθρήνει, . . . et Cicero iterum l. l. I 85 de eodem rege: *hic si vivis filiis incolumi regno occidisset . . . utrum tandem a bonis an a malis discessisset? tum profecto videretur a bonis. at certe ei melius evenisset . . . quod si ante occidisset, talem eventum omnino amisisset.* Fuit igitur haec tralaticia scriptorum sententia ubi de morte agebant; quam ita assumpsit Propertius ut variaret et a Priamo ad Nestorem exemplificationem traduceret.

Quid vero Horatius carm. II 9? Valgius poeta de Myste deliciis morte adeptis flebiles modos (v. 10) vel querelas (v. 18), i. e. elegos, fuderat; quem desinere querimoniis Horatius iubet, v. 13 sqq.: *At non ter aevo functus amabilem Ploravit omnes Antilochum senex Annos, nec impubem parentes Troilon.* Notabilis hic locus; nam ab Horatio in consolatione non solum Priamus Troilum deplorans excitatur, sed etiam Nestor ecce deflens Antilochum; itaque ne Nestorem quidem hac in re primus adhibuit Propertius. Quae cum ita sint, Callimachum ipsum a Propertio in loco, quem disputamus, imitatione expressum esse¹ probari non potest; nam Callimachus Priami lacrimantis exemplo usus erat, non Nestoris. Nestorem aliquis ut post Callimachum, ita ante Propertium adiecit; vereor ut ipse fuerit Valgius; ex quo tandem sibi prompsit Propertius.

Quibus perspectis, quod reliquum est, ad excutiendum distichum quod est de Nestore, a librariis non magis depravatum quam a posteriorum coniecturis indigne vexatum, accedamus, quod quidem sic in libro Neapolitano procedit, vv. 47. 48:

Quis tam longaevae minuisset fata senectae

Gallicus Iliacis miles in aggeribus.

Concinunt fere libri ceteri nisi qui *minuisset* in *meminisset* corruerunt. Est autem necesse ordiri sententiam et a dativo *Cui* et a coniunctione *si*. Ubi vero *Cui si* ex *Quis* elicueris, pessumdabitur hexameter superfluetque semipes unus. Itaque lectionum duarum de quibus deliberemus, optio dabitur. Nam ex sex syllabis

¹ Id coniecit Carol. Buresch Consol. hist. critica (1886) p. 127.

Cui si tam longaevae

aut has quinque

Cui si tam longae

aut has

Cui si longaevae

efficere par erit. Et priori lectioni faveat forsitan comparatus versus monob. 19, 17: *Quamvis te longae remorentur fata senectae*. Tamen posterior mihi praeplacet; nam qua lege librarius vocem *longaevae* poetico sermoni aptissimam ex *longae* extricaverit non satis perspicitur; magis premo incommodam esse voculam *tam* quippe iam in v. 45 obviam, eaque ex v. ipso 45 in v. 47 inrepsisse videri potest.

Dativum Propertio utrumque et *cui* et *quoi* concedimus, restituumus *cui* et v. 47 et 53; certe *qui* in dativo casu genuinum non fuit neque ab ipso Propertio proficisci potuit; hoc vero tenendum, quod plerosque ignorare video, sub ipsum antiquitatis exitum ortas esse recentiores dativi formas duas et *quo* et *qui*; et de *quo* dativo alibi adnotabo; alterum vero *qui* non ex *quoi* per scriptionis lapsum esse natum, sed pro *cui* efferri solitum esse demonstratur vel solo codice F Digestorum ubi frequentissimus est neque quisquam ibi *quoi* substituet; ita etiam apud Vergilium georg. II 204 *qui* in Palatino, item Aen. III 712 in Mediceo; item in Plauti Ambrosiano Epid. 160; in Terenti Bembino Phorm. 504; item in Levitico Monacensi 13, 2 (apud Zieglerum, Bruchstücke des Pentateuch); dativus *aliqui* apud Gaium p. 121, 21; dativus *quique* in Puteano Livii XXI 63, 3; XXII 1, 18 (et cf. XXII 59, 13). Item *qui*, *quippiam* similique apud Lucretium II 17, Ciceronem de deor. nat. III 86, Horatium art. poet. 426 in cod. B, Varronem de l. lat. p. 205, 5 Sp. Denique quia certe inde a quarto saeculo spurius hic obtinuit dativus debetque tum ita esse pronuntiatas, ex tali scriptura cave ne efficias *quoi* magis quam *cui* antiquioribus esse restituendum, sive in Digestis sive apud Catullum 1, 1 ubi traditur *Qui dono lepidum novum libellum?* sive apud Propertium II 23, 1 ubi *Qui fuit pro Cui fuit*, sive hoc ipso tandem Propertiano loco, ex quo perfecti sumus disputando.

Iam vero metam curriculi tetigimus. Quod enim superest disceptandum in v. 48 miraculum atque portentum lectionis, eo ipso tandem ad novae disputationis caput traducimur. Ecce in v. 48 *Gallicus miles in Iliacis aggeribus!* Gallus ecce Troianus Nestoris prisci adversarius! Quae scriptura quia incredibilis ni-

miumque a communi sensu abhorrens debuit videri hominibus doctis, coniecturas illi coeperunt parturire neque cessarunt cum unus alterius semper foetum improbaret. Et primum quidem talia excogitarunt, quibus militis Troiani origo clarius indicaretur; at vero sive scripseris

Ilius Iliacis miles in aggeribus

sive *Troicus Iliacis*, tautologiam inauditam et intolerabilem nactus eris; porro si *Caerulus*, ut unus Memnon Antilochi interfecto intellegatur, negabis tamen hunc heroem voce *miles* satis perspicue designari neque vero idoneum explicatum habebit ipsum *Gallicus* quomodo ex *Caerulus* in libris nasci potuerit. Fuit etiam qui *Saucius* proponeret; non video tamen cur saucius potissimum miles Troianus Nestorem ut occidat postuletur; alius *Callidus*, non satis callide id quidem, immo inepte; neque enim in milite, siquid omnino, calliditas magis quam virtus aut fortitudo memoranda fuit; alius *Bellicus*; sed *bellicus miles* etiam tale est quo bis idem dicitur; neque enim bellicus est bellicosus, sed ad bellum pertinet; ubi igitur miles non bellicus? Denique fuit etiam qui *Caelicus Iliacis miles in aggeribus* periclitaretur¹.

Quibus ex angustiis quo tandem modo nos expediemus? quo confugiemus? ubi salutem quaeremus atque auxilium? Plane enim ineptiis detinemur, defixi scilicet in tradita hac scriptura Propertii

Gallicus Iliacis miles in aggeribus.

Itaque num revera insania atque dementia Propertius totus captus fuerit Troianum Gallum vocans Gallumque Troianum, ita consideremus ut quid Troiae nomen apud Gallos valuerit novo sumpto exordio inquiremus.

Marpurgi Chatt.

Theodorus Birt.

¹ Housman l. l.